ORATIONES
TRES METRICÆ

I. De Magis, *Matth. 2.*
II. De Ieiunijs & ſobrietate.
III. De cognatione artis & lauri.

Recitatæ LIPSIÆ

â

M. CHRISTIANO BECMANO, BORNENSI
S. Theolog. Stud.

1 6 0 5.

Lipſiæ imprimebat Valentin am Ende.
Typis Hæredum BEYERI.

Magnificis & Ampliſſimis viris, pietate, doctrinâ, prudentiâ, reliquoq; virtutum genere præſtantiſſimis Dn. CONSVLIBVS & cæteris Senatoribus inclytæ Reipub. Lipſienſis, Patronis ſuis plurimùm honorandis.

SIONIS altor cœlitus editæ;
Necnon Themiſtes cultor amabilis,
O & nouenarum ſororum
Præſidium PHILYRÆ SENATVS.
Hoc, ecce, vobis quod mea pinſuit
Camœna, Pithus non ſapiat licèt
Vnguen, nec vnguem gratiarum;
Libo libens meritoq; libum.
Libum labellis ſit libitum, precor,
Gratumq; veſtris. ſpero etiam fore.
Spem clara ſat per orbis vrbes
Veſtranimis-bonitas adauget.
At vile libum eſt, non nego: ſed tamen
Adguſtum & ipſis talia ſunt dijs.
Et punicum malum boni Rex
Conſuluit gelidamq; lympham.
Sit IOVA nectar fundat olympicum
In vos & vrbem ſat PHILYRAM affatim;
Quò tot bonis, vernalis arbor
Quot philyre folijs; abundet.

V. V. M. & Amplitud. dedititſ.

M. Chriſtianus Beemanus
Bornenſis.

Oratio prima
DE MAGIS.
MATTH. 2.

Recitata in feſto candelarum, vt vocant; Anno 1604. 8. Id. Feb.

SAcros ſacra decent: ſacris peragenda diebus
Sunt ſacra: fas non eſt infeſta aſpergere feſtis.
Ergo iure etiam ſacro iam carmine feſtum
Claudimus hîc ſolenne trium pro more Magorum.
Tu SCHILTERE, faue cœtus laus marcida nunquam
Theologi; cui nunc Academia Lipſica faſces
Magnificos dedit; & reliqui, quos cœlica Sion,
Quos Dica, quos & Hygea fouet, Sophieque miniſtros,
Quos hinc Enceladi ac Cæi germana quadrigis
Fama coronatis vehit & deprædicat orbi:
Voſque, precor, iuuenes socij, lectiſſima pubes,
Eſte meæ faciles muſæ, dum pauca Magorum
De feſto ſibi decerpit verſuque recenſet,
Vt potis eſt, tenui: tenuem ne ſpernite verſum.
Quid ſibi, quæſo, Magi cupiunt de gentibus illis
Meſſiæ ignaris? cur tam regione profecti
Diſſitâ, vbi ſoboles Hyperionis eſſeda rurſum
Inſtaurat; pueri viſunt cunabula IESV?
Sic fuit in fatis: vates cecinere futurum
Id moti quondam diuini flaminis aurâ:
Scilicet ingenti gentes caligine merſas

Omnigenûm errorum, tandem quoque luce supernâ
Irradiatum iri; cùm iam tot præſtita ſeclis
Illa in Iudaicis tabeſcere cœperit oris.
Amoſiden laudo teſtem, qui talia fatur:
Surge Palæſtinæ ô Solymæ ditionis ocelle,
Surge agè rumpe moras, nunc fas abrumpere ſomnum:
Ecce tui in medio magnum iubar exerit ortum,
Maieſtas veneranda D E I, ſplendorq́; reſidit
Te prope, & inde ciet peregrinas vndique turmas.
Quà data porta ruunt ad te ſatis ordine longo
Et genere obſcuro & regali ſtemmate nati,
Omnibus è populis, quâ veſpera conſtat & Eos.
Pars candore niuis calathis fert lilia plenis,
Purpureasq́; roſas tenui munuſcula cultu.
Pars aurum argentumque ſinu de diuite fundit:
Pars addit myrrhæ guttas & turis acerram
Teque volunt omnes ſibi, pro ſe quiſque, mereri.
Haggæus prædixit idem; ſic dicit Ioua:
Tempus adhuc reſtat modicum, tum culmen olympi,
Et ſola terrarum quatiam pelagusque ſonorum;
Tumque mouebo omnes populos, venietque petitum
Omnibus hinc lumen populis & nubila pellet.
Adde quod in ditis fidei, fidæque cohortis
Principis Abrami bene Semine dicitur omnis
Gens, quà ſe tellus ſinuoſo limite pandit.
Cætera mitto; ſuo fatali tempore quæ ſunt
Euentus ſortita ſuos, neque defuit vllum.
O ſaluete Magi: fragrantia germina veſtris
Naſcantur tumulis: cineri ſit purpura veſtro
Veris in æternum! nam vos feliciter eſtis

Primitiæ facti meſſis de gente profanâ.
Ipſa ſuis manibus per amica roſaria Sion
Nomina veſtra cedris ſculpſit manſura per æuum.
Pòſt quoque, dante DEO, ſucceſſu compare gentis,
Cæca Superſtitio quam dementauerat olim,
Innumeros numeros cunis aſſueſcere Chriſti,
Atque ſuæ hîc omnem proram puppimque ſalutis
Figere certantes viſum eſt: quos inter & ipſi
Nos ſumus arctoo populus conterminus axi.
Sed cur ſtella iubar roſeis imitata capillis
Luciferi cùm manè ſali ſalit actus ab vndâ;
Eſt indulta magis, ab agro vt comitetur eoo,
Ignotoque Bethles votiuo limine ſiſtat?
Non eſt de nihilo: latet hîc memorabile ſacrum.
Stella notat Chriſtum, qui præclariſſima mundi
Stella tenebroſi eſt, Iacobi è ſemine patris
Edita; iuſticiæ qui Sol cœleſtis, & aſtris
Omnibus enituit meliùs, ſemperq; niteſcet,
Aeternoq; ſuum vegetabit lumine cœtum.
Deîn notat, errorum gentes pallentibus vmbris
Et preſſas ſcelerum penitus quaſi nocte profundâ,
Ad Chriſtum nitida cœleſtis lampade verbi
Ductum iri. tenebris magnis fax magna fugandis
Eſt opus. excedent nubes nebulæque typorum,
Quas experta fuit multos Iudæa per annos.
Omnia plana ſatis fient: velamine nullo
Amplius extabunt, dubijsue intecta figuris.
Ergò ſtella fuit quod Perſis: gentibus illud,
Atque adeò nobis ipſis eſt dogma ſacratum.
Vtq; Magi ſtellam pede non remorante ſequuntur

Ductricem, quacunque viam modò lumine ſignat:
Sic etiam dux ſit nobis & norma, IEHOVÆ
Vnica vox, gemini deſcripta volumine libri.
Huc oculoſque manuſque pedeſque infigere noſtros,
Huc animi penitus mentem conuertere par eſt.
Non aliò rapiant, Ratio quæ ſomnia fingit,
Et baccis ebuli pingit minióue rubello.
Non fauor heroum, non fallax gratia vulgi;
Non genus id paria, hic mundus quæ ſuſpicit, ardet
Immodicè, cœlo non æquis laudibus æquat.
Hinc vt ſtella Magos per tam longinqua viarum,
Tam varios caſus, per tot loca plena periclis
Dirigit incolumes: ſic cuncta per auia mundi
Non mundi, per tot rerum diſcrimina ſaluos
Nos ducit, gremio vox hæc Patris edita ſummi.
Et quid tum? gemat & tremat & fremat orbis & orcus;
Nîl intentatum penitus, nîl linquat inauſum;
Iungat vterq; ſuas vires & robora firmet,
Et ſtruat inſidias, inimicaque retia tendat,
Nîl tamen officiet. verbum cœleſte malorum
Omnibus è laqueis ereptos viáque cruentâ
Nos tandem rectâ; ceu trigam ſtella Magorum;
Adducit Chriſto, qui non iacet amplius orbus,
Vt quondam, ſpretuſque puer: ſed maximus heros
Omnia, quæ ſpacio duplici capit orbis & æther,
Perpetuis regit imperijs & numine complet.
Adducit Chriſto; quem non habet amplius arcta,
Pauper, & è vili tuguri quæ ſtramine conſtat
Caula, ſed aula DEI ſpacioſa meriſq; redundans
Vndiq; lauticijs, flammiſque coruſca pyropûm.

Atque ibi nos etiam, cùm iam taratantara ſignum
Edidit, immenſis ſeclorum ductibus æuum
Viuemus miſti genijs, reliquisque beatis.
Cernere tum coràm flagrantia lumina IESV
Fas erit, & proprias audire ac reddere voces.
Tunc hîc quæ fugiunt aciem myſteria noſtram
Cuncta videbuntur manifeſto in limine cunctis.
Interea in terris vitæ dum veſcimur aurâ,
Conuenit, vt genibus flexis & pectore prono,
Dona redemtori Chriſto conſueta feramus,
Cumque Magis aurum, myrrham, tus demus odorum.
Hoc eſt, omne genus vicij fugiamus echidnâ
Peiùs & irato cane: nobis perpete curâ
Sit cordi ſtudium vitæ morumque decentûm
Nobile, quod pietas & quod commendat honeſtas.
Præcipuè fidei Chriſtum ſtudeamus in vnum.
Hæc auro quouis melior, quod ſplendet in alueîs
Vel Tage, vel Pactole tuis; vel in æquoris aluo.
Tùm myrrham offerimus; ferimus cum mentibus æquis
Omne malum, quod fert variè inclementia ſortis;
Nec magis incutimur, quàm vel marpeſia cautes,
Vel tortis infixa ſolo radicibus arbor,
Cùm petitur boreæ nunc hinc; nunc flatibus illinc.
Denique tura damus, cùm vota precesque litamus
Conſperſas lacrymis: turis nidore Sabæi
Afficit hoc CHRISTVM multò iucundiùs. imò
Illi tus, nardus, ſtacte ſunt fœda mephitis.
Quare agitè & nos iam libamina dicta paremus.
Si libet incipiam: æterni patris vnica proles
Et fili Mariæ, frater dulciſſime IESV.

Non

Non quas debemus, ſed quas modò poſſumus, imis
Ex animis meritò grates tibi dicimus omnes:
Quòd ſuccendiſti nobis caligine quondam
Oppletis miſerè, cœleſtis lampada verbi
Auricomam, quæ nos recto ad te tramite ducit.
Poſtea quòd ſummis alijs tua dextera donis
Nos licèt immeritos, auxit quaſi diuite nimbo;
Quòd mala quæque dedit peſſum, quæ turbinis inſtar
Omnibus exitium nobis ſunt viſa minari.
Pro quibus, ô IESV, tibi carmina grata canemus,
Auguſtumque tuum nomen, laudesque per orbem
Tollemus, vitæ nobis dum ſuppetet vſus.
Euge agè ſis itidem præſtò te CHRISTE precamur
Pòſt nobis; dignare tua nos gratiâ abundanti;
Auxilioq; chorumque forumque torumque perenni
Proſperitate bea; fac fax tui amabilis vt ſit
Verbi perpetuò nobis noſtrisque, ſupremus
Huîc donec per fata dies illuxerit æuo.
Tolle quot hanc cupiunt tenebris inuoluere cæcis,
Funditus aut delere omni nituntur opum vi.
Da qui propugnant armis & voce propagant,
Hoc eſt CHRISTIanus tam re, quàm nomine CHRISTI
Aſſecla, Saxonicæ Elector celſiſsimus aulæ,
Et Fratres, nec non conſanguinitate propinqui,
Atque duces alij quivis, noſtriq; Docentes
Tergeminis animi donis & corporis aucti
Fortunæque diu viuant, valeantque beati.
Tolle famem, peſtemque tuo da numine peſſum,
Pelleque non bellum bellum belliſſime IESV;
Proque tua bonitate mera fac, quæſumus omnes,

Omne bonum patriæ noſtræ circumfluat oram.
Quod ſupereſt: Vobis etiam, ô digniſsime Rector,
Et reliqui proceres ſtudij quadruplicis vſu
Præſtantes, pictique manu per ſidera famæ;
Et quicunque bonus nobis hic aſſidet hoſpes;
Vobis eximias animo perſoluimus vno
Et linguâ grates: hunc quòd ſolenniter Actum
Eſtis dignati veſtro ſplendore vetuſtum.
Pro quo deferimus noſtrum omni tempore vobis
Omnibus obſequium. Sit vobis omnibus anni
Huius Principium felix; felicius illo
Sit medium; amborum ſit feliciſſima meta.

SECVNDA ORATIO. DE IEIVNIIS ET SOBRIETATE

Habita in Templo D. Pauli anno 1604. Calend. Mart.

QVód bene ſuccedat, TRINVNVS faxit IÔVA,
Iam de ieiunIs & ſobrietate; licebit
Carmine ieiuno pro re mihi dicere mens eſt
Paucula. nam præſens, cui dant ieiunia nomen,
Id tempus ſuadet: quod ſit pro tempore gratum eſt.
Annue, magnificum cui nunc Academia noſtra
Credidit officium Rectoris, Lipſidos ingens
Lux, SCHILTERE; & vos reliqui, clariſſima vbique
Lumina doctrinæ & ſolidæ virtutis, Amici:
Tuque faue iuuenum venerabilis ordo, canenti
Paucula; ſed ſtudijs multùm, puto, commoda veſtris.
Sic eſt: vſque adeò, licèt haud ſint diſparis ortus,
Mentibus, inſtinctu Satanæ, ſententia diſpar
Humanis reſidet de re propè qualibet: vt ſint
Qui modò conueniant modicè, ſecumque morentur
Ad tempus pauci. varij volat alea ſenſus,
Qua ſe cunque ſolum ſpacioſo limite tendit;
Nec datur inuentum par quod conſpiret vbiuis.
Sunt qui terrigenûm libitu ieiunia primùm
Inſtaurata rati, tanti non eſſe fatentur;
Aedibus illorum in ſacris vt mentio fiat.
Sunt, ea qui penitus ſpernunt, Stygiæque paludi,
Inde velut producta forent, ſine fronte remittunt.
Sunt, ea qui præcepta quidem diuinitus olim

Non

Non renuunt; populo at tantùm Iudæis os oræ;
Nempe ſuperuentu quæ Seruatoris IESV
Cum genus id paribus ſint antiquata moleſtIs.
Sunt, ea qui nimiùm extollunt, Iouæque fauorem,
Et peccatorum veniam cœlumque mereri
Affirmant; ſed arenoſo fulcimine nixi.
At quid opus reliquos longis ambagibus omnes
Dicere, quos hîc error agit de tramite recto?
Inſideant potiùs menti diuinitus orta
Quæ de jeiunIs nobis oracula pandunt.
Hæc mera vera ferunt: licet his ſat credere tutò
Omnibus: haud fallunt, ſed quæuis falſa refutant,
Et quæ ſub ſpecie gliſcunt mendacia veri.
Nimirum Dominus, qui mundi totius orbem
Ipſe regit præſens & totus numine complet;
Primus fundauit ieiunia vera, ſacratos
Ad cultus quæ ſint veluti calcaria menti.
Is ſic ad populum Iſrael, interprete Moſe;
Illi vbi feſtiuis mandat ieiunia pompis:
Bis quinam menſis ſepteni ex ordine lucem
Cùm iam puniceis (inquit) matuta quadrigis
Extulerit; vobis deuota piacula ſunto,
Tùm ſubtracto vſu farris potusque diurni
Ad Domini meliùs vosmet ſtata ſacra paretis.
Tum nidor vacuas holocauſti permeet auras,
Suffimentique & nares bene tingat Iouæ.
Tunc operum vobis ſuetorum penſa parumper
Quælibet atque domi atque foris tractanda quieſcant.
Quòd ſi quem tanta ingluuies inſtigat, vt auſit
Hoc violare die malis audacibus eſcam:

Aut ſi quis peragit reliquis peragenda diebus;
Ocyus è medio crudeli morte peremtus
Tolletur. tantum ſcelus eſt contemnere Iouam.
Flaminis & Ioël diuini percitus œſtro,
Sic ait excidium Solymæ præfatus acerbum:
Vos ô Sionij vates, aræq; miniſtri,
Cingite pullatis veſtros nunc veſtibus artus,
Et ſaccis; geminate querelas, fundite fletus!
Nam ſacra res Domini veſtris expirat in oris.
Cogite concilium; ieiunI indicite feſtum;
Hic vtriuſq; ſimul ſexus iuuenesque ſenesque
Omnes ſint præſtò, veſtræ regionis alumni,
Et precibus puro pariter de corde profuſis
VItrices iræ Domini compeſcite flammas;
Quam modò nequities exciuit veſtra ſepultam.
Hos etiam ipſe DEVS Ioëlis voce miniſtra
Alloquitur, morumq; iubet tœdere priorum:
Ecce dies meus horribilis, voluentibus aſtris,
Protinus exoritur! vos ô mea maxima cura,
Quos ratio maleſuada rato de calle ſalutis
Deiecit; dubiosque ignota per auia duxit;
Caſtigate moram, veſtigia vertite retrò
Huc ad me, totisque animis reſipiſcite mœſti,
Ieiuni & lacrymis humecti grandibus ora.
    Nempe iuuant ſtudium diui ieiunia cultus;
Vt meliùs, faciunt, noſcamus crimina noſtra,
Et deteſtemur verè veniamque rogemus,
Non niſi promerito niſi ſolius IESV.
Nam tùm liberior mens eſt & alacriùs inſtat,
Sicubi materies deſit, quæ pondere terram

Natiuo

Natiuo petit & mentem ſic ſæpè retardat.
Hinc etiam quoties voluerunt vota litari
Rebus in anguſtis; vnà ieiunia ſanctæ
Inſtituêre Tribus, vt mens attentior, & ſic
Vota magis fiant ad Iouam ſeria mentis.
Cùm Beniamitas non exuperare valeret
Exiguos numero, ſed robora maſcula belli,
Vndeno Iſrael exercitus agmine iunctus;
Extemplò indixit ieiunia & æthera rupit
Supplicijs, vt ſe victoria læta maneret.
Dauid rex nulli regum pietate ſecundus,
Cùm notha progenies eius iam vindice morbo,
Ilicet halatura animam, correpta iaceret:
Delicijs miſſis triſti ſe texit amictu,
Et proſtratus humi ſeptem ſe ſolibus eſcâ
Abſtinuit, veniamq́; ſibi natoque precatus
Eſt vitam, duplices tendens ad ſidera palmas.
Cùm Ionas ſubitum Niniuæ prædiceret vrbi
Interitum: properè gelida formidine preſſi
Sunt omnes; rex ipſe ſuos ſuſpendit honores,
Purpureo exutus decore & fulgente coroná
Se ſacco veſtIt; ſolij ſplendore relicto
Ad cineres abijt, ieiunauitq́; preceſque
Nimbatas fudit lacrymis, & iuſſit vt omnes,
Quotquot ſint, ſaccis homines pecudeſque recinctæ
Incedant & ieiunent; nec pabula guſtent,
Nec potentur aquâ; ſed complorentq́ue gemantq́ue,
Et curuæ in terram læſum venerentur Iouam.
Non ſecus ac iuſſi faciunt: apparet vbiuis
Summa quies epulis & amor compreſſus edendi:

Terra madet lacrymis: ſingultibus æthra reſultat.
Omnibus idem animus ſceleratam linquere vitam.
Audiat hæc qui digna lacu ieiunia clamat
Tartareo, incenſus Papæ furialibus auſis,
Qui tam ieiunIs miſeram grauat vndique plebem.
Res ipſæ maneant: ſaltem tollantur abuſus.
Fortè ſed exhibito iam CHRISTO talia nuſquam
Amplius inter nos veterum ratione ferentur?
Non ita nos docuit CHRISTVS: ieiunia nunquam
Seria taxauit; ſed quæ ſunt oblita fuco,
Aut quibus inſeritur temerè quid opella merendi.
Quin potiùs quo ſint pacto ieiunia nobis
Vera colenda docet: non ſitis moribus, inquit,
Iſtorum ſimiles faciem qui fingere norunt,
Tantùm alijs poſſint vt ieiunare videri.
Intereà vapido ſub pectore creſcit hyæna.
Ieiunare cupis rectè? caput vngito: vultum
Abluito; vt liqueat fieri non plebis id ergò,
Quæ ceruſſatam ſpeciem modò reſpicit oris:
Sed patris obſepto reſidentis in axe tenebris;
Qui quoq; cor penitus rimans tibi præmia reddet.
Quem polière modis cœleſtia pulpita miris
Paulus adhortatur ciues perſæpè Corinthi,
Vt ne ieiunIs precibusque vacare recuſent:
Eſte velut decet eſſe DEI qui iuſſa faceſſunt:
Quod fera ſors modò ferre ſolet vos ferte libentes
Omne mali genus: officij perferte labores
Vobis commiſſi & ieiunia corde fideli.
Quare & propoſito nobis ieiunia par ſit
Concelebrare pio, rebus cum vrgemur ab arctis,

Vt mens ad cultum magis exacuatur Iônæ.
Aut quia nunc veteri ſordent ieiunia more
Pontificis culpâ, nimiùm qui talia demens
Vrſit, ad æternam dictans conferre ſalutem:
Saltem quotidiè frugalem ducere vitam
Sit ſatius. nimium omne nocet; fugiamus echidnæ
Immodicum peiùs potumque cibumque veneno.
Sobrietas ſiquidem, nec non ieiunia paſſu
Aequali properant vnam contingere metam.
Idque iubet CHRISTVS. fas iuſſa capeſſere CHRISTI,
Ac facere intentis noſtris pro viribus æquum eſt.
Scilicet edictis Domini parere minoris,
Pro ſe quiſque, mora omnis abeſt, ſudamus; iiſdem
Abnuere aduerſum meritò ſcelus eſſe putatur.
Et mandata Noti CHRISTI committere gyris
Qui ſummus regum rex nobis præſidet: imò
Quem penes eſt vnum rerum infinita poteſtas;
Non ſit grande nefas & ſæua morte piandum?
Sic fatur: vigilate diu noctuque, nec vnquam
Pectora veſtra cibo nimio potuque grauentur,
Aut alijs vitæ curis; quia deſuper omnem
Spem præter veſtram lux ingruet vltima mundi.
Non aliter quàm cùm laqueus furtim aucupis aruo
Conditus incautas prenditque necatque volucres.
Huius & excitus ſtimulo Petrus admonet omnes
Heuigenas: ô ſit commendatiſſima vobis
Sobrietas, agite excubias; nam perdius hoſtis
Et pernox Satanas it circum & quærit anhelus
Quem diſcerpat & in fauces ſummittat auerni.
Vt leo per ſyluas nunc huc nunc arduus illuc
Fertur & ardenti ſtomacho ſolatia poſcit.

Ipſe quater denos ſoles noctesque moratus
In luco ſterili, proſtant vbi edulia nulla,
Pertulit innumeris ieiunia pallida curis.
Confectus, Satanæque illuſus ſcommate CHRISTVS.
Huius & exemplum, quamuis imitabile nulli,
Intuiti, vt potuêre tamen conamine magno
Biſſeni iuuenes ſibi quos delegerat olim,
Nec non diſcipuli & poſt hos Eccleſia primis
Quos tulit auſpicijs, parcam traducere vitam
Sunt viſi & celebrare pio ieiunia ritu.
Quare pro modulo non, quæſo, ſuperſtite nobis
Neruorum, Chriſtumque pioſque imitarier illos,
Et quantum ſatis eſt vitæ mediocribus vti
Nitamur? facilis niſum DEVS ipſe iuuabit.
Eſuriem CHRISTVS tantam, mirabile dictu,
Atque ſitim tantam propter nos ſuſtinet: imò
Per mala perpetuò totam trahit omnia vitam:
Et graue ſit tenui nobis inſueſcere menſæ,
Tantillisque malis? modò ſint mala, quæ bona fundunt
De ſe continuò, rapidi torrentis ad inſtar.
Si caput eſt Chriſtus, velut eſt, nos cætera membra:
Hîc meliore loco capitis cur membra fruamur?
Membra, ſed infirma & centum liuentia næuis.
Si Chriſtus Dominus, nos ſerui: iuréne ſeruos
Nos foueat Domini felicior aurula ſortis?
Seruos, ſed fidei quæ illi debetur inanes.
Agricolam meritò vt fatuum reprehenderet omnis
Præteriens, qui fortè ſuum rus vndique ſentes
Quod ferat, aut fœtus viciæ triſtisque lupini;
Vellet vt æſtiui canis exarentibus igni

Exciſisq́ue herbis iſtis; pòſt tempore verno
Vtilium lætis fieret prouentibus aptum:
Nec tamen intereà ſucco lætaminis illud
Exaturare ſatis ceſſaret, & altilis vrnas
Captandæ pluuiæ aut riui portare propinqui.
Noſtra caro rus eſt, ſcatet hæc, lacrymabile viſu,
Innumerabilibus vicijs à vertice ſummo
Ad calcem; ſimul ac nobis data copia motus,
Donec in inuiſam clauduntur lumina noctem.
Huic igitur virtutis agro ſi ſemina debent
Inſpergi; pietas & quam ſibi poſcit honeſtas;
Non hæc, quæ primâ vixdum ſuffocat in herbâ,
Iſtaq́ue felici vegetat nutrimine, fas eſt
Subdere materiam: non fas farcire vel eſcâ,
Ignorante modum & morem vel viſcera potû.
Sobrietas regnet potiùs; virtutibus altrix
Blandior, & vicijs quâ non infenſior hoſtis.
Sobrius exequitur ſibi credita munia promtis
Obſequijs, vitæ triplex quæ poſtulat ordo:
Hinc vt continuò quàm plurima commoda manent,
Ac maneant multos & ſe præconia laudis
Perpetuæ, quæ ſunt virtuti debita merces.
At qui lauticijs nimio plus deditus alui
Haud ſatis officio facit; inſita mentis hebeſcit
Flammula; torpeſcunt vires; fit inutile corpus
Ad bona profectu quæuis facienda benigno.
Omnia ſobrietas pronos comparcit in annos
Prouida; nec ſi quando fames hinc inde vagatur
Dentibus infrendens; eius ſuccedere tecto
Suſtinet, aut Peniæ macro gens horrida vultu.

At cuius venter deus eſt; ne, craſtina pendit
Aut quondam ventura, pili: ſed lumine bruto
Ante pedes interque manus tantum obuia luſtrat,
Et ſua quæq; ſacrat ventris, ne murmuret, aræ.
Sed quid poſt? poſtica venit pede pœna volucri
Pauperies & quarumvis penuria rerum;
Nec non ludibrium vulgi: Nunc, ô gulo, tandem
Eſt curata ſatis paſtu tibi pellis opimo:
Porrò iuuet fruſtis etiam conſueſſe, ſed ægrè
Commendicatis, puteique ſalubribus vndis.
Nauſea ſemper-idem ſequitur: vicegratius eſt nîl.
Quem non hoc durum premit & miſerabile ſeclum?
Quo ſis cunque loco licet has audire querelas:
Eheu nos miſeros! quàm ſunt hæc tempora multis
Fœta malis! quàm cuîque ſolo dominatur egeſtas!
O gens fortunata nimis quæ floruit olim
Maiorum, nec in hunc tantum ſeruata dolorem!
Aurea tunc ætas iuit: tùm mulſit olympi
Temperies melior terram, quâ protulit vltrò
Fruges omnigenasque ſinu quaſi diuite fructus.
Tùm ſolidæ quercus ſudarunt roſcida mella,
Liuida tùm paſſim ſpinetis vua pependit,
Cunctarumq; fuit cunctis opulentia rerum.
At rigido ſimilis ferro, quâ viuimus, ætas.
Priſtina vis cœli langueſcit: terra nouercæ
Induitur faciem; tantùm non omnia nobis
Denegat; & ſi dante DEO, mora longior orbi
Huîc fuerit; glandes iterum mandiſſe iuuabit.
Sed quî fit? ſi vera licet pro tempore fari:
Horum ſunt homines ipſi vnica cauſa malorum.

Se nimiùm luxu dedunt, quem priſca refugit
Gens, & fortè redux has miraretur in oras.
Stant menſæ, ſi quando parant conuiuia; quod fit
Quottidiè; centum terrâ vndiq; & vndique ponto
Conuectis dapibus lixis frixiſq; grauatæ.
Spumant crateres zytho vinoq́ue repleti
Multiplici, quæ quiſque ſua fert indole tractus.
Non comedunt, Natura velut vult parca genitrix;
More vorant pecudum; nec edunt vt viuere poſſint,
Sed viuunt vt edant: vitæ præponitur eſus.
Pitiſſare nefas; magnos haurire culullos
Eſt decus; & quò quis poris eſt proſternere plures,
Vt ſeſe dicant victos ſcribántue Lyæo,
Hoc ſibi plus laudis, nec raro præmia captat.
    Sobrietas vbi habet: ſedes ibi figit Hygea
Diua decore nitens ſolido, quem lilia lactis
Aemula ſanguineis referunt immiſta roſellis:
Nec facilè à morbis hinc truditur; vndique denſum
Hanc licet aſſpicias circum glomerare maniplum.
Aſt epicuræi, cui nil niſi fluxa voluptas
Corporis arridet; color eſt in corpore toto
Luridus: inuiſa eſt facies: ſunt lumina torua;
Sunt folli ſimiles buccæ; vox murmure rauco
Detonat: os diram ſpirat nareſq́ue mephitim.
Hinc dolor exiſtit capitis; manuumq́; pedumq́ue
Hinc tremor; hinc crebris clangunt tinnitibus aures.
Hinc vlcus viget; hinc ſcabies viret: hinc febris alget
Et calet alternis ſpacijs: hinc intumet hydrops:
Hinc alij plures morbi, velut vndique creſcunt
Amnicolæ ſalices; quos ſi producere cunctos

 Atten-

Attentem, vereor; vox vt mihi laſſa ſatiſcat.
Eſt vbi ſobrietas: ibi amor quoque mutuus ardet,
Sed ſincerus amor, CHRISTI qui colligat agmen;
Et pax ſuccincta olex ſuffulta capillos
Frondibus, ac Chariſin ducit ſtipata choreas.
Atqui mancipijs Cereris Bromijque bicornis
Non hic amor; ſed amaror adeſt; ſed triſtis Erinnys
Accubat & fiſusMauors lethalibus armis.
Hinc ſubitò ira ſubit: reſonant conuicia pugnæ
Semina; tùm furor exoritur; furor omnia rumpit.
Mox volitant cyathiq; cadiq; faceſque patellæque
Et ſellæ crepitant, mucroq; enſiſq; refulgent.
Hinc infliguntur plagæ: hinc ſunt tubera: ſunt hinc
Vulnera; pingit humum largè cruor; indeq; membra
Nonraro penitùs ſoluuntur frigore mortis,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.
Qui parcè viuit, caſtus manet atque pudoris
Integer; illiciti feruor tabeſcit amoris.
Non ſecus ac candela perit, cùm pabula deſunt.
At quos blanda Ceres, tumidoque abdomine Bacchus
Afficit; hos etiam mox amborum vmbra Cythere
Titillat. nam ſola poteſt nil; iuncta duobus
Iſtis, in tantum vires acquirit; vt omnes
Et reſides animos etiam deſuetaque corda
Impuris animet flammis. tùm ſtupra ſubinde
Committuntur, adulteria, inceſtuſque nefandi.
Cuius ſobrietas pectus regit, aſſolet omni
Mandatos præſtare DEO molimine cultus.
Nil illi prius eſt, potius nil dogmate CHRISTI:
Hoc petit, hoc perit, hoc ſequitur pede præpete ſolum,

Inque dies ex hoc fidei plus roboris addit.
Nimirum benè conueniunt & more ſororum
Sobrietas pietaſque irrupto fœdere perſtant.
Illi hinc qui ſtudet: hanc etiam reuerebitur idem.
At quisnam pariter valeat ſeruire duobus
Non paribus dominis? hunc ſcilicet oderit: illum
Diliget. haud ſimulatus amor modò fertur in vnum.
Quem Bacchuſque Cereſque ſibi meruere miniſtrum,
Hunc procul ab ſeſe veri ſacra numinis arcent:
Intereà frugis videas expertibus inter
Pocula & obſcœnis ſibi tædia fallere nugis.
Res precioſa preces: lacrymaſque preceſque piorum
Arma vocant, hoſtes quibus & mala quæque fugentur.
Aſtra precum tranſit virtus, adamantina quamuis,
Et quæcunque bono nobis ſunt inde reportant.
Sobrius has animæ è penetrali cernuus imo
Noctes atque dies quoſuis ſolet edere ſolus:
Pro quibus effutit ructus, odidoſque vapores,
Blaſphemaſque vomit diras, quîs vulnera CHRISTI
Sancta recrudeſcunt & crux quaſi priſca nouatur;
Qui ſua plus iuſto complet præcordia victu.
Tunc etiam angelicæ turmæ, gens munda, choriquе
Accola mundorum cuſtos, abiguntur: in auram
Non ſecus atque apium fumis examen amaris.
Nec mora: ſuccedunt fœdiſsima monſtra Dracones
Orcicolæ: hi vicijs modò delectantur, & audent
His homines cumulare magis. malus autor, & auctor
Eſt malus, & reliquum potiùs fit peior in æuum.
Nempe malum maius fit, quò diuturnius extat.
Deniq; blanditijs carni qui pergit amicis

Indulgere ſenex, nec, dum fert ianua, vitæ
Ingreditur melioris iter pòſt turbine vaſto,
Quod pice ſulfurea flagrat, iactatur in antrum.
Diues vbi lurco ſedet, æternumque ſedebit,
Quî cum ſæpè petet nequicquam voce ſupremâ
Lene refrigerium, guttam micámue puſillam.

Nec tamen intereà tantum quoque poſſe putentur
Sobrietas, vel, mille licèt, ieiunia (nam ſunt
Par conſanguineum) vt Paradiſi in valle beatâ
Nos poſtliminiò veteri ſtatione redonent.
Non ita. fex-ponti & terræ Babylonia pellex,
Falleris & fallis valdè, falluntur & omnes,
Et fallunt tecum, id qui defenſare laborant.
Filius ipſe DEI noſtræ velamine carnis
Indutus, patriam ſolus modò lenijt iram:
Quod fuit, eſt, erit vnus & vnicus omne piauit
Peccatum lytro, bona quod ſupereminet orbis
Quælibet; & meruit cœleſtia gaudia nobis
Solus. nil opera hîc poſſunt aut edita profunt
A nobis. Tantilla queant quî tanta mereri?
Quin ea nec bona ſunt, Si fons eſt ſordidus; an non
Hinc qui proſiliunt certum eſt ſordeſcere riuos?
Aut ea ſi bona ſunt: Flatus bonitate ſacrati
Sunt bona: cur igitur nobis aſſcribimus ipſis?
Hebdomade in quauis Phariſæus dicitur olim
Bis ieiunaſſe & vitam ſectatus honeſtam:
Nec tamen effugit furias, quas fugerat, orci.

Quid? quòd ſobrietas, nec non ieiunia Papæ
Haud fiunt autore Deo; quia talia verbo
Sunt aduerſa DEI. DEVS à ſe nullibi diſtat.

Tempora

Tempora conſtituit ieiunIs certa quotannis,
Præſcribitq́; cibos certos, quos ſumere fas ſit,
Et quos non, rigidè vetat. hinc qui talia frangit
Mandata is Stygio mox carcere dignus habetur.
At qui tùm lacti, butyro, carnibus, ouis,
Et vetitis alijs parcit: licitum ille licebit
Quod libet, aſſumat; pultes, & iura ſaporis
Melliflui; nec non piſces diſcrimine nullo
Manducet, mullos & percas atq; cyprinos,
Muſtelasq́ue & tincas, muræнasq́; luposq́ue
Salmonesq́ue anguillasq́ue ſcombrosq́ue ſalárq́ue
Et ſimiles: vero is ſeruat ieiunia ritu.
Scilicet hoc eſt quod Paulus præſagijt olim:
Affore ſacrilegos ſub ſera crepuſcula mundi
Præſtigiatores, qui ſint diſcrimina victus
Facturi, titulo veræ pietatis & vſus.
Hæc ita non ſtatuit CHRISTVS, Chriſtíue miniſtri;
Hæc illibato teneris Eccleſia ſeclis
Corpore, damnauit ſocijs velut impia punctis.
Hæc & libertas nobis data munere Chriſti
Reſpuit. ad ſerui nunquam redit auía liber.
Præterea nec cauſa ſubeſt, quæ fulciat iſtud
Commentum. dicunt, animalis carne carendum eſt
Terreſtris, quoniam terræ maledixit Iôua.
Si ſic; cur tellus ex ſe quæ procreat ipſa
Non itidem prohibent frumenta, legumina, fructus?
Cur vinum tolerant, quod terræ ſanguinis inſtar?
Fundulus à fundo eſt, fundum quia diligit. at cur
Hunc adhibent? an non etiam hunc contagia terræ
Inficiunt? auibus ceu fit cum fortè reſidunt.

Addunt:

Addunt: luxuriam carnis caro gignit & auget
Terreſtris. ſed an hanc piſces vinumque retundant?
Quin magis irritant. hinc vinum dicitur Idæ
Lac & luxuriæ fomes. Cui dicitur? ipſis
Decretis Papæ. Papæ quis credere nolit?
Sed pergunt: panes, piſces & mella relictis
Carnibus in ſolidum CHRISTVS lex noſtra comedit:
Et nos non eius veſtigia ponè legamus?
Hoc monachus quondam inſipidus cùm forte referret
Plurima teſtatus CHRISTVM non carnibus vnquam
Eſſe vſum: quidam plebei nominis auſu
Egregio excepit: quin (inquit) tempore paſchæ
Inſtantis toſtum Solymis pro more bidentem
Conſumſit CHRISTVS iuuenum ſtipante caterua
Bis ſenûm; fidei ſummæ ſacra pagina teſtis.
Hîc captus mendax laqueos eludere cepit
Iniectos, cùm non meliùs diſſoluere poſſet:
Eſt ita, ſicut ais, reſpondit: carnibus auſit
Tùm veſci CHRISTVS; ſed ei pòſt plurima carnes
Verbera, flagra, crucem & mortem peperere nefandam.
O ingens ſcelus & dignum quod terra dehiſcens
Sorpſerit, aut fulmen Styga præcipitarit ad imam!
Siccine quæ noſtræ CHRISTVS pro labe propagis
Exhauſit, penitùs cauſæ tribuentur inani?
Sed meritò errorum tantâ quaſi nocte teguntur
Papicolæ, oderunt verbi quia lumen IESV:
Vt veſpertilio, vel qui mortalibus omen
Queſtibus inceſtat lacrymoſis culmina bubo,
Declinat faciem radianti lumine ſolis.
O æterne DEVS ne nos caligine tanta

Inuolui ſine; quæſo, tui lux aurea verbi,
Quâ nihil eſt melius præter te, qui optimus vnus;
Nobiſcum maneat, vitæ dum permanet vſus.
Sic te, Trine DEVS, Patrem, Natumq́;, Sacrumque
Flatum, ſeu vox aſſa placet, ſeu miſta, beatis
Perpetuum iuncti genijs cantabimus æuum.

Conſecrata fuit præduro robore quercus:
Populus Alcidæ ceſſit: florentia Bacchi
Flexipedis hederæ ſunt indita ſerta capillo:
Iunoni albicomis flos ſunt data lilia peplis:
Spica fuit Cereris frugum flauentibus aruis;
Myrtus & elyſio Veneris roſa propria ſucco:
Sic & Apollo ſacer vobis Muſæq; ſorores,
Quæ penes eſt artis noſtræ tutela clientis,
A retrò Doctis aliquot per ſecula laurus
Eſt data. non abs re. multùm veneranda vetuſtas
Plurima monſtrauit tali ſub imagine rerum,
Et quæ nos doceant, & quæ nos ſtirpe reciſâ
Criminis aureola virtutum aſpergine tingant.
Inter enim laurum & Phœbum cognatio magna eſt.
Nempe velut laurus ramis felicibus arbor
Læta ſolo pingui liquidas bene ſurgit in auras:
Et viget atque viret quo vis ſub climate ſolis.
Seu Procyon niteat, quo torridus æſtuat aër,
Seu glacialis hyems aquilonibus aſperet vndam,
Et niuium ſpiſſo terras obnubat amictu;
Stat vegetâ facie, ac folio multiplice laurus
Inter & exuccas, & nuda fronte ſorores.
Nîl æſtus,, nîl frigus obeſt; quæ compare niſu
Ceu iurati hoſtes, viuis quæcunq; meatu
Atq; ſoli, atq; ſali pando ſunt condita ventre,
Ingentes pariunt clades & deniq; mortem.
Talis & eſt Phœbus: talis cuî præſidet ars eſt
Ingenua ingenij: viget æternumq́; vigebit,
Incrementa magis reliquos habitura per annos;
Donec ſe rapidâ ſtellæ vertigine voluunt,
Atq; ſinu varij generis parit vbere tellus

Dædala mater opes turbæ mortalis in vſum.
Quid bona fortunæ? genium ſectantur herilem,
Vt fortuna vagæ mutatur imagine lunæ,
Quæ ſemper veteli reparat diſpendia vultus:
Stare loco neſcit ſtabili; ſed qualibet horâ
Nunc hinc, nunc tremulis illinc quaſi paſſibus errat.
Sic quoque ſunt huius vicibus bona ſubdita multis.
Quàm citò theſaurus gemmarum diues & auri
Argentique, malâ modò vi, modò tollitur aſtu.
En tempe quoties varijs vberrima pomis:
En quoties pereunt cultos ſata læta per agros;
Sicubi plus nimio calet aura, vel ingruit imber
Grandior, aut grando celeri ruit æthere lapſu;
Aut ſi quando mouet genti gens inuida bellum,
Quo nihil è Stygio peius caput extulit æſtu,
Omnia vaſtantur penitus lacrymante colono.
Talis at ars non eſt; floret quaſi florida laurus.
Ecce domus quanquam centum ſit fulta columnis,
Et pulchris ſit picta modis & ſculpta figuris,
Nec non interiùs regali ſplendida luxu:
En turris, veluti quæ pinnis ardua moles
Aëra nubigenam celſa de rupe flagellat,
Et ſolidis ſaxis & forti eſt vincta metallo,
Quam non poſſe putes euertere mille virorum.
Attamen hæc nimiùm, ceu fit, ſtidentibus auſtris
Nunc æquatur humo: nunc hauſta voragine terræ
Diſparet: ſubito nunc iactis perdita flammis
Vertitur in cinerem prorſus tenuemque fauillam.
Talis at ars non eſt; floret quaſi florida laurus.
Quid bona commemorem quæ corporis eſſe feruntur?

Hæc quoque mille modis ſunt quoque obnoxia puncto.
Nempe viri virus virides in momine vires
Herculis exuperat: curſus veſtigia cerui
Flammea prætertens, celeris vel flamina venti
Deficit, exiguo læſis diſcrimine neruis.
Talis at ars non eſt; floret quaſi florida laurus.
Forma bonum fragile eſt, nympham licèt Oebalin æquet.
Firma valetudo nōn eſt, vel dentibus æui
Morſa perit, gelidi vel quaſſa tyrannide morbi;
Vt vernantis homo, quâ non ſperauerat horâ,
Aetatis miſerâ tumuletur imagine funus.
Talis at ars non eſt; floret quaſi florida laurus.
Ars manet, vt mars & mors & ſors improba iunctim
Et tremat & fremat & ruat & furat impete vaſto.
Sicut enim mens eſt diuinæ ſurculus auræ,
Ac bonitate DEI nunquam vi rumpitur vllâ:
Hinc Cicero Arpinas Siren, præſtantius (inquit.)
Hic eſt mente nihil quaquà patet ambitus orbis:
Sic bona quæ noſtræ recubant ſub fornice mentis
Illibata manent. viuit poſt funera virtus:
Viuitur ingenio, ſunt cætera ſubdita morti.
Hoc DEVS ipſe facit. DEVS eſt qui diligit artem
Ante alia, & mundi contra vim protegit omnem.
Artis enim eſt autor: hinc artis fautor & auctor
Et tutor meritò eſt. bona quis non diligat ex ſe?
Nam veluti laurus quondam cum ſtipite querno
Grata fuiſſe Ioui in ſcriptis memoratur auitis;
Hinc apud Auſonios belli dux ipſe ſupremus,
Vt ſtitit hunc nitidis reducem victoria ſignis;
In gremium Iouis, vt gratus, viridantia lauri

Vertice Parnaſſi reſident, atque Aônis; & quos
Conſimiles referunt montes, gens docta, poëtæ,
Scilicet ars ſummo ſtat fixa cacumine noſtra;
Nec patet acceſſus cuiuis; huc ſemita ducit
Faucibus exiguis: diræ ſunt vndique ſentes,
Vndique ſunt ſpinæ, ſunt vepres vndique denſæ;
Sunt ſalebræ, ſunt ſaxa; aditum præcludere norunt
Omnia: & hinc pauci, calcar quibus enthea virtus,
An niſi tandem ſperata ſede quieſcunt.
Ars facilis non eſt: labor hîc & cura vigeſcant.
Vt laurus (fidei vatum res debita) virgo eſt,
Quæ caſtum intacto ſeruat ſibi corpore florem.
Nam priús atq; decus voluit violare pudoris
Virgo Daphne & teneris iuuenum ſuccumbere flammis;
In frondem crines: in ramos brachia: ventrem
In truncum, atque pedes verti ſibi vouit in imas
Radices. dictum factum eſt: apparuit arbor
Mox & virgineum iam fert quoque læta colorem.
Sic ars eſt virgo; ſic turba nouena ſororum
Caſtalidum caſta eſt; maculas & crimina neſcit.
Sæua voluptatum lex hîc abit omnis in vmbram.
Ipſe patris ſuperûm qui tela typhoëa temnit,
Hîc Amor incaſſum nunc vi, nunc fraude laborat.
Fama nec inuanum eſt: quondam cùm fortè Pyreneûs
Rex Muſis cuperet, modò quas exceperat udas
Hoſpitio, vicium demens inferre pudendum;
Quòd ſe præcipitem, Muſis fugientibus, arce
Iecerit & turpi halarit cum ſanguine vitam.
Vſque adeò Muſæ fœdum auerſantur amorem;
Et qui Muſarum ſtudijs ſe damnat honeſtis;

Matris Acidaliæ technas declinat opertas.
Sicut numinibus terræ mortalibus, olim
Et nunc, principibus longè eſt gratiſsima laurus:
Cæſares vt pompis celebrant ſolennibus actum,
Vertice laureolas geſtant (laus aurea lauro!)
Hinc vbi peniculis animatas fortè papyro
Effigies horum cernis; non ſæpè coronas
Aureolas ambire vides; non lemma ſmaragdis
Cæſariem aut alijs plenum decorare lapillis;
Sed circum potiùs victricem ſerpere laurum.
Sic accepta viris ſummis mundique monarchis
Ars fuit: ars eſt: ars & erit bene grata dynaſtis.
Artem cœlicolæ bona numinis eſſe putarunt:
Artem ſubſidijs, quæ poſtulat vſus & eſus
Auxerunt: arti ſtabili loca ſede dicârunt:
Arti ſe penitùs multi vouêre per omne
Vitæ curriculum; quæ nunc quoq; ſingula fiunt.
Qualis Alexander fuerit cognomine Magnus,
Et verè magnus; ſtudij quàm fomite magni
Hæſerit in ſtudijs; quàm magnos vndique ſumtus
Fecerit, vt maius ſtudium magè floreat artis;
Vidit Ariſtoteles, nos ſcimus ab indice famâ.
Eius & hoc ſculptum lauri ſtat cortice verbum:
Se plus Phæſtiadæ, ac regi debere Philippo.
Hic Pater: ille fuit doctor; laus orbis vterque.
Hic artus: dedit ille artes. hic ſimplice motu
Vitam: aſt ille ſimul vitam virtute beatâ
Tinxit, & heroas fecit ſuperare, vetuſtas
Credula quos olim rutilantibus intulit aſtris.
Quid pater Auguſtus patriæ dum gloria Romæ

Splenduit? hic etiam ſali complexus amore eſt
Artem & cultores artis. Maro gemmula vatum,
Pieriſin meritò & Chariſin chariſſima proles;
Atque lyræ præſtans Romanæ Horatius odis,
Ambo in delicijs Auguſto, & amore fuerunt;
Hos inter multoſque iocos, & ſeria multa
Egit; vterque bonus quia miſcuit vtile dulci.
Et quoniam lippus fuit hic; ſubtriſtis at ille,
Ludere conſueuit Cæſar dum forte reſedit:
Hîc inter gemitus ſedeo, lacrymaſque profuſas.
Sed quid opus ſerie longa memorare vetuſtos?
Quò quid adeſt propiùs, ſenſum magis afficit & cor.
Sit magis exemplum numero ſtirps vndique magno
Europæa ducum, clariſſima ſolis ab ortu
Solis ad occaſum. quæ, qualia, quantaq; pendat
Artis in augmentum tot mille ſalaria alumnis,
Non, mihi ſi centum linguæ ſint, edere poſſim.
Saltem cerne mihi genus indelebile RVTÆ
SAXONICÆ, patriam quæ iam bene protegit oram:
Quàm bona multa libens, & quàm bona plura quotannis
Dent, artis ſolidæque DEI pietatis in vſum!
At Carthago mihi es, gens illuſtriſsima: iam ſit
Mî ſatius ſiluiſſe tuæ bonitatis honorem,
Quem non ipſe queat modulis intexere laudum
Comparibus, moueat penitùs licèt omnia, Phœbus.
Laurus vt ingenti parit & parat agmine fructus,

Non ſecus & manibus velut ars dat commoda plenis,
Quæ numeris nulli certis comprendere fas eſt.
Si quis ſcire cupit forſan, cupit æquoris idem
Diſcere quot flatu Zephyri turbentur arenæ:
Aut quot, quando pluit, labantur ab æthere guttæ:
Sirius aut quot iam coquit arua per arida culmos.

Te dolor excruciat capitis, quo cætera prorſus
Membra labant, faciuntq́; ſuo nil munere dignum?
Hunc adimas lauri fragrante liquoribus aurâ.
Te lecto affigunt turgentibus vlcera venis,
Vt dulcem nequeas (dolor ingens) carpere ſomnum?
Hæc leuat è lauru, medicamen amabile, ſuccus.
Te, veluti nunc fit, depaſcitur ignea febris,
Reddit & exuccum corpus, mortiq́; propinquum?
Hanc fugat è lauru, medicamen amabile, ſuccus.
Tuſſis anhela quatit ſonitu præcordia rauco
Cùm candeſcit hyems canis hirſuta capillis?
Lenit & hanc lauri, medicamen amabile, ſuccus.
Sicubi deformat macies miſerabile corpus,
Vt nihil atque os, atq; cutis rugoſa ſuperſit:
Hîc quoq; laurus opem, medicamen amabile, confert.
Expellunt lauri ſcabiei ſemina baccæ,
Pruritumq́; poris facili medicamine tollunt.
Quid? quòd vbi funeſta lues hîc ſæuit & illic,
Ac genus omne neci pecudumq́; hominumq́; cruentæ
Demittit: folijs lauri qui ſurgit ab vſtis
Fumus, ab inſtanti viru mox liberat auram.
Corporis vt morbis laurus: ſic noſtra medetur
Ars morbis animi. at quibus? eſt inſcitia morbus
Sat grauis & grandis: vicium quoque morbus, at ingens

Morbus idem eſt, peiuſque malum quàm corpore morbus.
Nam ſimul in lucem tenebris emergis ab alui,
Obruta mens tenebris rerum iacet, omnia neſcit:
Cor nihil eſt aliud quàm putida lerna malorum.
Hîc opus, hîc labor eſt medicæ quàm plurimus arti.
Hæc abigit tenebras: varijs idiomaſi linguas
Scire dat, haud vniſque modis diſcrimina rerum,
Quas mare, quas tellus claudit, cœlumque profundum.
Hæc procul eiectis vicijs, nitidiſſima iactat
Semina virtutum, & facit huius vt incola mundi
Iam fortunatam incipias traducere vitam.

Inſidet vt virtus lauro præſagafuturi.
Occipiti ſubdes ſi aliquot cum baccare ramos,
Somnus vbi corpus tepidis amplectitur alis;
Te, multi perhibent, quorum mens conſcia veri eſt,
Viſurum ſimulacra modis præſentia miris,
Quæ tua multarum euentus præcordia rerum,
Et quo quidque modo fugiasque ferasque docebunt.
Talis & è noſtra Phœbi fluit arte poteſtas,
Hinc eſt omnigenûm vitæ prudentia rerum,
Quæ ventura oculis luſtrat præſentibus, & quid
Vtile vitatu nobis; quid & vtile factu,
Quà prope, quaque procul digito velut indice monſtrat,
Qui Phyſicæ didicit probiùs myſteria matris,
Hic è lineolis manuum, vultusque figurâ
Temperiem, moreſque animi, vitæque futuram
Fortunam, mortemque poteſt prædicere; quin &

Aëris hic ſudam, & plenam tonitrûue, niuiſue,
Ventorúmue imbriſue valet prænoſcere formam.
Omnia quæ fiunt ſuperis debentur in aſſem
Viribus: haſce minùs quanquam mens noctua cernat;
Stellarumque ſitu priùs euentura pateſcunt,
Sint modò, qui liquidò poſſint exponere ſenſu.
His tamen ipſe DEVS præeſt moderator, & vltrò
Vt libet, aſtrorum & cœli regit omnia nutu.
Tritum eſt: aſtra regunt mundum; DEVS aſtra gubernat.
Cultibus vt quondam laurus famulata deorum eſt,
Nec fas pollui eam fuit vſu fortè profano:
Sic ars noſtra ſacris ſtudijs aptiſſima ſeruit,
Seruit, & hoc tantùm: fatuo non imperet auſu.
Nequam eſt, cum domino maior cupit eſſe miniſter.
Vt decus eſt domui laurus, dum brachia pandit
Ante fores, texitque ſuis vmbracula virgis,
Trudit & occulta procul hinc vi fulminis alam:
Hæc & cauſa fuit, laurum quòd Cæſares olim
Pontificesque ſuis voluêre accreſcere tectis.
Sic ornamentum parit ars haud vile cuiuis
Vel priuæ domui: bona fert, mala quælibet aufert.
Pacifera eſt veluti laurus. Naſo accinit ipſe:
Venit Apollineâ longam concordia lauro
Nexa comam. lauri in medio ramuſculus hoſte
Extitit indicium morulæ placidæq; quietis:
Quin vbi deſierat bellum felicibus aſtris
Ductârantque deûm Romani ad templa triumphos
Victorum viridis velauit tempora laurus.
Vtilis in bello ſic ars; ſic omnia pacat:
Ars facit vt vegetis cedat victoria palmis.

Innume-

Innumeræ quamuis peditumq́ue equitumq́; cohortes
Sint præſtò : ſint arma ſatis licèt omnia belli :
At nihil, at fruſtrà eſt dux; ní ſit acumine mentis,
Quod facit ars : nî ſi maturo pondere fultus
Conſilij, quod fert ars : ſi non ordine turmas
Iuſto diſtribuat, quod & ars noſtra ingerit ipſum.
Teſtis Alexander qui ſe didiciſſe magiſtro
Mæonide eſt faſſus, quanam ratione pararit
Illam aciem belli, toties quâ victor abiuit.
Naribus vt ſuauem de ſe flat laurus odorem,
Et qui demulcet laſſum, reficitq́ue cerebrum :
Sic ars dulcis item eſt, mirè iuueneſq́ue ſeneſq́ue
Exhilarat : penitùs ſi quis perceperit artis
Dulcorem; nihili facit is quæcunq; Cythere
Atque Ceres ventri donat, iuueniſq́, Lyæus.
Non ſatias oritur, non tædia : dulcior ars eſt,
Quò magis hanc aliquis tractat. res cætera quò fit
Sæpiùs, hoc odio magis eſt. hinc vocula vulgi :
Semper res eadem mera crux, mera nauſea vitæ eſt.
Attamen vt præbet folijs & baccare manſis
Laurus amaritie tinctum guſtata ſaporem :
Sic & amara ſatis radix eſt primitus arti,
Plus aloës ac fellis habet, quàm mellis vbique,
Cùm quis eam primùm libat puerilibus annis.
Hinc non pauca velut fugiunt animalia laurum
Faucibus inſuauem : potiùs lotúmue thimúmue
Et cupiunt parili, ac capiunt dulcedine plantas :

E Venere, è potu, eque cibo manantia, hiatu
Apperit immodico, & vitæ putat eſſe coronin.
Sed quorſum? ſatis eſt. plura & meliora poëtæ
Laurigeri cantent. Satis hæc mihi paucula ſunto:
Quæ quia tam placidè laudata corona virorum
Ac iuuenum audiſti, meritas Tibi concinno grates.

ΕΠΕΙΣΟΔΙΟΝ
Calumniatori Poëticæ.

QVid vates? vani: nîl vtile, futile quiduis
Fingunt, ac varijs figmenta coloribus ornant:
Somnia ſunt, nugæ penitus ſunt; qualia nutrix,
Dum ſedet, vt lacrymas ſedet, lactentibus offert.
Parce ſacro generi, neſcis, male Zoile, neſcis
Quid ſibi ficta velint, non ſunt mendacia prorſus,
Non ſunt de nihilo, ceu primâ fronte videntur.
Nam ſic omnigenûm viciorum radere ſordes
E teneris animis ſatagunt, & ſubdere contra
Semina paulatim per ſe virtutis amara
Sub ſpecie alterius: quò vix aduertere poſſint.
Vt cùm filiolis abſinthia [illegible] parentes
Inualidis dare conantur; priùs extima vaſis
Melle linunt labra: ſic vt combibat inſcia pubes
Pharmacon & vires fractas adiuta reſumat.
Si vacat & melli eſt, age contemplabimur iſta,
Quæ de Narciſſo cedro incidenda Pelignus
Aonij cecinit palmaris adorea montis;
Et mea plus fidei ſic forſan dicta merebunt:
Plaſmata tam vatum non eſſe expertia frugis.

Eſt Narciſſus idem quod adhuc florente iuuentâ
Feruidus, elatâ nimio plus mente, ſuiq́;
Admirans & amans: Graij dixère Philauton.
Huncpetit, huncperit, huncſequitur pede præpete virgo
In ſyluis ſola ſolà colens reſonabilis Echo;
Echo quæ nihil eſt, mera quàm iactantia vocis.
Vt Narciſſus enim præ ſe diſcrimine nullo
Deſpicit & puros pueros bellasq́; puellas:
Sic ſui amans amens temnit damnatq́; politos
Arte viros, virtute viros; quos gloria cornu
Multiſono thalamum ſolis per vtrunq́; recenſet.
Vt Narciſſus amat conſpectam in fonte ſereno
Effigiem vultus propriam, nitidumq́; colorem:
Quod penitùs nihil eſt immotis ſpectat ocellis,
Affatur, cupit & capit & rapit & trahit ad ſe,
Atq́; iterum atq́; iterum nequicquam baſia libat.
Sic itidem ſui amans dementi mente ſuorum
Sectatur ſpecies: eſt quod vel inanius hilo;
In ſolidum ſtolidum miratur, ſuſpicit, ardet
Immodicè, & laudum pompis ingentibus effert.
Deniq́; Narciſſus veluti deſertus & æger
Poſt multas lacrymas & lamentabile carmen,
Mortem obit, atq́; abit hinc in florem ſera comantem:
Talis ad extremum manet & fortuna Philauton.
Diſcite, quis nondum pr[illegible] deferbuit ætas;
Nec nimiùm vobis ipſi veſtriſq́; fauete:
Nec ſapite ante dies. Serus venit vſus ab annis.
Tuq́; Poëtarum maſtix compeſce labellum;
Nec quoduis [illegible] temerè fictum inſere [illegible]: